



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LII. Sebadvs. XXVI. Arch.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

S E C U L U M VII.

LI. S. SEVERINVS. II. XXV. ARCH.

S Severinus II. longè notior nomine, quàm re, licet ab Ecclēsia publicos impetraverit honores, in Divorum fastos relatus, die 20. mensis Decembris cultoribus commendatus; ab ævi tamen sui Historicis per annos 18. Sedis suæ encomiorum ferè nihil impetravit an. 618. mortuus.

LII. SEBAVDVS. XXVI. ARCH.

S Ebaudus ab aliis Sabaudus dictus, virtutis famâ, quàm Historiæ memoriâ clarior, diem vitæ ultimum numeravit an. 626. 26. Novembris, quem eidem sacrationem fecerunt posterì, eiusdem virtutibus, & fortè miraculis excitati.

LIII. D. MODOALDVS. XXVII. ARCH.

D Modoaldus in aula Dagoberti I. Austrasiæ Regis cum Cuniberto Colonienſium & S. Arnulpho Metensium Episcopis aliisque juvenibus, & demum viris virtutibus illustrissimis educatus. Modaldus porro cum & natalium splendore, utpote Pipini I. Majoris Domus ob Itam sororem ductam conjugem affinis, & ipse ex Regio sanguine prognatus, simulque doctrinâ & industriâ excelleret, Dagoberti Regis filias Irminam & Adhelam ad omnem pietatem egregiè formavit; quin & Regis ex dissoluta vita ad emendationem traducti liberalitate, ad Religionis incrementum usus est strenuè, variis templis & monasteriis erectis: regia namque horrea Trevirensium in urbe olim extructa in Virginum sacrarum asceterium convertit, cui Irminam dedit Moderatricem. Alterum asceterium Palatioli, quod Majores Domus incolebant, excitavit, cui Adhelam prima jam ætate

ma-